

describitur, quemadmodum eum Frater Ruffinus Bonellus ordinis Carmelitanorum de Alexandria animam convertens ad animarum Alexandrinæ civitatis, ac finitimorum locorum miseram conditionem, litteras misit ad Episcopum Aquensem, in quibus exponit, quod cum propter longitudinem viarum multæ personæ dictorum locorum commode non possint ad ejus præsentiam accedere; idcirco dignetur, & velit sibi pro universa Alexandrina ditione fidelium confessiones audiendi, a casibus reservatis absolvendi, prædicandique licentiam impertiri. Quibus permotus Episcopus sic rescribit; recognoscentes quod nos licet immeriti sumus Diocesani locorum ipsorum, ideo quia salutis animarum summis desideriis invigilamus petitam facultatem concedimus, sub hac tamen conditione quantum ad incertorum restitutionem, ut nomine nostro idoneam cautionem ad ipsum referat, & certum nuncium de eisdem.

Die X. septembris. Quidam Frater Bertramus Prior Conventus s. Marci O. PP. Alexandria Episcopo Guidoni viginti quatuor ex religiosi sibi subditis, ut eorum Diocesano præsentibus obtulit.

MCCCLXVI. IV. martii ordinationem fecit Episcopus, qua cuidam Clerico de Alexandria ordines minores contulit; atque in omnibus ordinationibus plures fere semper ex civitate Alexandria, ac finitima regione clericos ordinavit sine aliqua Archidiaconi, vel alterius cujusque obtenta facultate, vel litteris quibuscumque. Item ex hoc chartulario die XX. martii Archipresbyter Cuccari nomine Dominorum hujus loci quemdam Jacobum Arescam Episcopo sistit, ut in Restorem Ecclesiæ cujusdam confirmet.

MCCCLXVII (non MCCCLXVI uti v. c. Chenna pag. 161.) die XX. februarii Episcopus Guido Fratri Johanni Stracaræ de Alexandria Priori Conventus Heremitarum dicti loci confert Ecclesiam s. Andree de Corregio, & s. Martini de Gamundio de Castellatio, eique spirituale earum accolarum regimen committit.

Die XXVI. februarii id. Episcopus ex Bergamasco D. Manfredi Carentini Restori in mandatis dedit, ut quendam Clericum in suæ præbendæ possessionem immitteret.

Die II. aprilis idem Episcopus peculiari diplomate confirmat quandam electionem ad præposituram Ecclesiæ s. Perpetui factam a Presbytero Gulielmo Scalorgna Archipresbytero, Presbytero Laurentio Giglino, Presbytero Antonio Pata, Canefro præposito, Presbytero Antonio de Ripalta Canonicis Ecclesiæ Collegiatae s. Petri de Alexandria Aquensis Diocesis, Johanni Paxerii de Solerio.

Die X. Guido II. dedit facultatem absolvendi a reservatis Paulo Archipresbytero Fubinarum.

Die XXI. octobris litteræ collationis Ecclesiæ s. Ambroxii de posse Felizzani vacantis per uxorationem Capuzzoni Guttuarii, Henrico Dac.

MCCCLXVIII. die XVIII. octobris Jacobus de Moxia Minister Ecclesiæ s. Petri de Fubinis ejus administrationem renunciat Episcopo.

MCCCLXX. die XXVIII. novemb. Guido Episcopus Fubinarum Archipresbytero facultatem concedit, qua diebus festis cujuslibet hebdomadæ pro commodo D. Violantis uxoris Ottini Guttuarii, quæ propter

viarum discrimina dubitat in Ecclesia Missas frequentare, duas possit in Castello Missas celebrare.

MCCCLXVIII. col. 353. n. 337. In sæpius memorato Quiregii Chartulario reperitur præceptum hoc eodem anno & die ab Episcopo factum Aragono de . . . Canonico s. Laurentii Gamalerii, ut Gulielmum Donoxium de s. Maria de Sonna Diocesis Vienne in possessionem Ecclesiæ s. Laurentii immittat.

MCCCLXIX. col. 354. n. 338. In sæpe laudato Chartulario Quiregii alia reperitur delegatio huic Archipresbytero Gamalerii ab Episcopo Guidone facta die XX. augusti hujus anni, ut in possessionem Ecclesiæ s. Stephani Castri novi Incisæ Henricum Rofredum immittat.

MCCCLXIX. col. 356. n. 341. Si quis sciscitetur, cujus familiæ ac gentis esset Melchior iste a Guidone II. Aquensi in Episcopum Osnabrugensem consecratus respondebo ex Marchionum Estensium progenie descendere, ac ea stirpe, quæ a sæculo XI. fuit in Germaniam translata, ex qua Brunsvicenses alique originis Guelficæ Principes Germani orti sunt, ad quorum primos hunc pertinere nos edocet Chronica Episcoporum Osnabrugensium Erduvini Erdmanni edita ab Henrico Meimbomio Tom. II. Rerum German., in qua pag. 232. hæc habet de Melchior: sublato de de lacu hujus miseriæ D. Johanne Hoet Episcopo Osnabrugensi successit in Episcopio Illustrissimus D. Melchior ex Ducibus de Brunsvich gonitus, introductus per D. Florentium de Wevelinchoven, & hunc Episcopum Monastariensem . . . cui de Ecclesia Osnabrugensi provisum fuit per sanctam Sedem Apostolicam . . . illis tribulationibus taliter actis idem D. Melchior Episcopus per Gregorium X. ad Ecclesiam Sverinensem translatus est, ubi post octo annos in domino occubuit. (anno MCCCLXXVI.)

MCCCLXX. col. 365. n. 347. Omissa fuit in fine documenti hæc, quæ in Chartulario subdebatur appendix: Et de ulteriori gratia etiam vobis concedimus, ut quotiescumque, & quandocumque prædicabitis ibidem, possitis omnibus adstantibus vere poenitentibus & confessis XL dies indulgentiæ relaxare.

MCCCLXXXV. col. 380. n. 359. Ante XXIV. dies ab hac absolutione, aberat a Diocesi Episcopus Henricus, uti nos edocet alia membrana Tabularii Episcopalis, in qua quidam Civis Aquensis Terdonam petiit pro ordinibus recipiendis. En charta. I C. N. A. Anno Dom. Nat. MCCCXCV Ind. III. die XXVII. marci in Ecclesia majori Terdon. R. in Christo P. & DD. Fr. Dei gratia Episcopus Salense. Missarum solemniam celebrando &c. Johannem de Aragono de Aquis ad Diaconatus ordines promovit licentia ec. sibi concessa a R. in Christo P. & D. D. P. V. & a S. G. Episcopo Terdonensi &c. Ego Petrus &c.

MCCCII. col. 381. n. 360. Membrana hujus documenti existit penes Monasterium s. Claræ Alexandria. De hac unione fit mentio in quadam chronica, quam quædam Abbatisa A valle de Trexobio Aq. Diocesis sub anno MCCCC. ad MDL. circiter Italice conscripsit & MS. asservatur in eodem Monasterio, quæ fol. 4. & 5. sic habet.